DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

OPHTHALMIA

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA
QUAEDAM
DE
OPHTHALMIA
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GUALTERUS EWING,

EX CAROLINA MERIDIONALI,

CHIRURGUS.

"Ingentibus et variis casibus oculi nostri patent: qui cum "magnam partem ad vitae simul et usum et dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt." CELSUS, LIB. VI. CAP. 6.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1816.

322291



VIRO PRAECLARO,

JOANNI SPEIRS, M. D.

ARTEM MACHAONIAM APUD GREENOCK, PER MULTOS ANNOS

FELICITER EXERCENTI;

NON MINUS ARTIS SCIENTIAEQUE ET LITERARUM

PERITO,

QUAM BENIGNITATE ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI;

PRAECEPTORI SUO PRIMO IN ARTE SANANDI

SEMPER COLENDO;

OB MONITA ET PRAECEPTA IN STUDIIS

AMICISSIME OBLATA,

HOC OPUSCULUM,

ANIMO GRATISSIMO

DICAT

GUALTERUS EWING.

ROBERTO EWING, ARMIGERO,

LONDINENSI,

AUCTOR.

TIBI, Amice optime, hasce studiorum meorum primitias editurus, occasionem lubentissime arripio, grates reddendi, prae beneficiis magnis, quibus a morte Parentum hucusque me totamque familiam nostram, dignatus sis; hoc munusculum, Vir carissime, accipias oro, sincerum quamvis pertenue pignus animi in aeternum grati. Vale.

Kalendis Augusti,
Edinburgi, h. l.que s.

JACOBO EWING, Armigero,

DECANO MUNICIPALI,

APUD

GLASGUENSES,

VIRO

NON MINUS ACERRIMO INGENIO,

QUAM ANIMO ERGA OMNES BENEVOLO,

ALIISQUE VIRTUTIBUS QUAE GENUS HUMANUM ORNENT,

REIVE PUBLICAE BENEFACIANT,

PRAECLARO ;

HOCCE TENTAMEN,

BENEFICIORUM PLURIUM NUNQUAM IMMEMOR,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. C. QUE

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31953001

AVUNCULO CARISSIMO,

JACOBO EWING,

ARMIGERO,

HAUD MINUS

OB PERPETUAM EJUS BENIGNITATEM,

QUAM INNUMERA BENEFICIA ET CONSILIA,

IN EUM

ACADEMIA EDINBURGENA,

IN

MEDICINAE STUDIUM INCUMBENTEM

COLLATA;

HANC DISPUTATIONEM

SACRAT

GUALTERUS EWING.

NECNON,

ALEXANDRO McCULLOCH,

CHIRURGO,

HASCE PAGINAS,

PIGNUS AMICITIAE SEMPITERNAE,

SACRAS VULT

AUCTOR.

11

DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

OPHTHALMIA

COMPLECTENS.

Auctore Gualtero Ewing

PRAEFANDA.

OCULUS, propter fabricam subtilem et multiplicem, qua donatur, sedemque, et officium grave, quo perfungitur, quam plurimis casibus patet, quibus alia sentiendi instrumenta carent. Inflammatio, omnium malorum, quibus objici potest, longe creberrimum et gravissimum est; quippe quae

aliorum ejus morborum fons et origo esse solet. De *Ophthalmia* igitur, summos medicinae honores petiturus, quaedam disserere volui; quo legi scribere imperanti obsequar, parum novi proferendi cupidus.

Cullenus praeclarus hanc inflammationem ad *Classem Pyrexiae*, *Ordinem*que *Phlegmasiae* retulit, et ita definivit: "Rubor et dolor oculi; lucis intolerantia; plerumque cum lachrymatione."

Huic generi Cullenus duas subjecit species: nimirum, *Ophthalmiam Membranarum*, et *Tarsi*. De illa praesertim disputare in animo est; quibusdam sane de hac quoque propositis.

DE INDICIIS.

Haec inflammatio incipit ex intentione vasorum oculi, sensuque molestiae, si quando oculi huc illuc moventur. Paulo postea signa acriora accedunt; oculus insigniter prurit, dolet, et ardet; et irritamentum alienum aegro ipsi eum exasperare videtur. Membrana *adnata* vasis ruberrimis superfluit; oculusque aliquantum intumescit; neque non palpebrae ejusdem mali sunt expertes. Interdum oculi vehementer illachrymant, multumque pituitae effundunt; modo autem exarescunt, nec facile moventur. Luminis minime patientes solem refugiunt, palpebris fere invicem commissis.

Signa dein ingravescunt, et quam plurimae arteriae et venae, homine integro, serum accipere solitae, nunc demum, sangui-

ne ipso introëunte, rubescunt. Membrana *adnata* ubique saturrimam sibi ruborem praefert. *Iris* praeter consuetudinem irritabilis luce illata quam maxime coarctatur; haec vel obscura quaesitissimum dolorem molitur. Oculi nunc nitoris vacui hebescunt; et homo pene obcoecatur. Aliquando imagines vanae mentem ludunt: muscae scilicet, aliave inania oculos circumvolare aegro videntur. Frons et tempora acute dolent, aut quadam gravitate opprimuntur. Interdum homo febricitat, et arteriae concitantur; sique corpus contingat aegro validum et plenum, et exardeat inflammatio, delirium torquet, cibique parum appetuntur, acceptive evomuntur. Haec indicia duos aut tres dies perstare et crescere consuerunt. Quibus exactis, fere leniri aut conquiescere incipiunt. Dolor mitescit, et in ponderis sensum convertitur; et pars secunda cursus *ophthalmiae* coepit.

Hae autem notae secundam eam partem denunciant: oculi detumere solent; certeve minus intumescunt. Vasa, quae prius laete rubuerant, nunc demum livent; si vero hucusque medicus rite et tempestive curaverit, salus ante diem septimum renascitur; et mala omnia feliciter resolvuntur.

Quod si inflammatio exinde ad membranam palpebrae interiorem spargitur, et dein *tarsum* occupat, subest altera *species,* quam Cullenus *ophthalmiam tarsi* appellavit. Haec vero ita cognoscitur: palpebrae tument, rubescunt, dolent, et quasi obrigent; nec citra gravem molestiam aut cruciatum moveri possunt. Glandes *Meibomianae* humorem corruptum viscidumque secernunt; qui effusus facit ut inter dormiendum palpebrae concrescant, nec nisi vehementi nisu invicem disjungantur. Demum exulcerantur margines palpebrarum: decidunt *cilia:* effluit humor puri consimilis; hebetatur facultas videndi, aut caligant oculi.

Oculi tam intimo nexu inter se sociantur, ut altero laeso alter vix officiis rite perfungi possit: quo fit, ut quanquam unicus initio inflammetur, alter vix non quam celerrime inflammationis particeps fiat. Inflammato igitur oculo, videndum, ne qua irritamenta alteri jam sano admoveantur.

Notae, quas proposui, ad inflammationem sive *membranarum*, sive *tarsi* acutam attinent. Non vero subinde desunt aliae quaesitiores, quales incitatissimam praedicant. Homo scilicet interdum sensu ardoris vehementissimi ad oculum relati vexatur; qui ne lucem quidem exilissimam sustinet; nec solum hanc afferri, sed oculum vel leviter moveri, piget. Nunc lachrymae et pituita fere superfluunt; arteriae motu incitatissimo exagitantur; febris ingravescit. Caput aut tempora dolore summo contorquentur; nonnunquam infelix delirat, per noctem vigilat, quiescendi impotens, *iris*que irritabilior quam

levissimo incitamento cedit. Membrana *adnata* vasis contortis eo subinde intumescit, ut inde fiat tuberculum vivum, pene obcoecaturum. Interdum pars posterior oculi inflammatur; unde metuendum erit, ne, torpentibus nervo *optico* et *retina*, gutta serena visum omnino deleat.

Quod ad fines morbi propositi aliis aliter desinit; modo celeriter solvitur, modo quam diutissime trahit. Saepius ad suppurationem quam ad gangraenam fertur; plerisque vero in oculi integritatem abit. Nec autem celari oportet, hanc inflammationem caeterorum oculi vitiorum genetricem esse posse.

Illud maxime timendum, ne, nisi medicus auxiliis praestantissimis et valentissimis utatur, *lens chrystallina*, aut *humor aqueus*, aut *cornea*, opacetur; quae mala vix non lumen aegro reliquam vitae partem adiment. Si quis struma imbutus hoc morbo

implicatur, ars medica parum valet; etiamsi enim signa leniantur, inflammatio pertinax et lenta inhaeret, non fuganda.

DE SIGNORUM QUORUNDAM RATIONE.

De praecipuis et gravioribus signorum disserere in animo est.

Rubor oculi.—Oculus laete erubet, quia vasa exigua non nisi laticem tenuem accipere solita nunc amplificantur, eo ut particulae rubrae sanguinis ea subeant; verisimile est porro arterias aliquas nasci, quae prius defuerint.

Tumor ejusdem.—Duplici de causa intumescit oculus; nimirum, arteriae ejus et venae praeter consuetudinem implentur; quinetiam vasa exhalando dicata lym-

pham effundunt, non prius tollendam quam abierit inflammatio.

Dolor.—Nulla pars inflammata non dolet; quae equidem nota inflammationis propria est; neque haec doloris expers adesse potest. Vasa autem intenta, ideoque nervi, quippe qui cum iis nexu intimo sociantur, hunc plane facessunt. Irritamentum alienum oculo inhaerere aegro videtur, eo quod arteriae natura decolores nunc particularum rubrarum capaces fiunt. Neque aliunde proficiscitur pulsus iste, quem aeger ad partem affectam refert.

Oculi illachrymantes. — Oculi illachrymant, quod glans lachrymis secernendis dicata vim sanguinis perinsignem capit; imo vero, fortasse ipsius inflammationis fit particeps.

Oculi irritabiles, nec lucis patientes.—Res est notissima, cor et genus nervosum se in-

vicem aeterno quasi circulo incitare; illud nempe non rite salire, nisi hoc vires suggerat; neque cerebrum et nervos officia exequi, nisi cor ad ea copiam sanguinis idoneam impellat; cujus legis gravissimae exemplis sint *Apoplexia* et *Syncope*. Oculo igitur inflammato, *retina* plus aequo sentit, et fibrae *iridis* motrices ultra debitum contrahuntur, quia arteriae admodum concitatae molem sanguinis nimiam huc afferunt.

Muscae oculos circumvolantes.—Si cui malo proposito implicito muscae oculos circumvolare videantur, scire licet inflammationem acerrimam torquere. Causa enim hujus signi continens est *retinae* quaedam partes torpentes. Judicandum igitur, non solum inflammari penetralia oculi intima, verum etiam vasa ejus in tantum tumefieri, ut quaedam partes *nervi optici* et *retinae* opprimantur, ideoque torpeant.

DE CAUSIS.

CAUSAE morborum duplicis esse generis apud auctores feruntur; uti de *proxima*, sive continente, sileatur: scilicet, quae corpus iis subeundis aptant; et quae ipsos faciunt, vel excitant. Quam distributionem causae *Ophthalmiae* sequuntur. Proximum est ut utrasque, quam clarissime potero, explicem.

De proclivitate.—Etsi nulla pars aetatis, et neuter sexuum hujus inflammationis sit immunis, prae aliis tamen ei patent ii, quos natura fabrica corporis molliori et delicata instruxerit; eoque magis hi in eam incidere solent, si struma imbuantur. Nosse porro juvat, hac peste infectis *Ophthalmiam tarsi* saepenumero contingere. Juventa roboreque florentes et sanguine pleni *Ophthalmia*

membranarum fere plectuntur, potius quam imbecilli et in senium vergentes. Praecepta tamen perpetua hanc rem non moderantur.

Sub omni tempestatum genere inflammantur oculi; at praesertim Jove imbribus, nubibus aut pruinis malo, Euroque aut Aquilone spirante; ideoque vere et abeunte autumno potissimum homines hoc malum perpetiuntur.

De noxis excitantibus.—Irritamenta oculi inflammandi potentia in duo genera satis recte dividuntur: nimirum, in ea, quae parti ipsi recta; eaque, quae toti corpori, admoventur. Illuc pertinet impetus alienus; scilicet, oculus ictu, ferramento, mucrone, acu, ense aliundeve violatus: quae noxae, si paulo vehementiores sint, efficiunt ut homo reliquam per vitam, lippiat, nulla arte liberandus. Eodem spectant acria oculis inhaerentia, et palpebris subjecta; qua-

lia sive ob figuram abnormem particularum, sive ob facultatem exedendi aut rodendi, qua polleant, nocere possint. Hinc artifices quidam, veluti lapicidae, fabri, moletrinarii et vitrarii, quippe qui casui istiusmodi perquam objecti esse consuerunt, persaepe lippiunt. Inter ea, quae vi exurendi et rodendi potius quam conterendi, laedunt, sunt fumi foliis *Nicotianae Tabaci* ustis oriundi, *Ammonia*, metalla in sublime lata, et quae sunt his similia. *Cilia* intus conversa huc quoque referenda. Quinetiam, ardores meridiani, quales "sole "nimium propinquo" terras Indicas torrent, aut frigora nocturna, haeve noxae vicissim illatae, oculos non raro inflammatione implicant. Denique, lucubrare, vel naturas exiles aut oculis unicis, aut *microscopio* auxiliante, diu et acriter inspicere, complures *Ophthalmia* pertinacissima, serius ocyus in *Amaurosin* non medicabilem desitura multavit. Decus illud immortale Angliae, MILTO, vates pene divinus, studio literarum in-

tento et vigilia nocturna, haec tandem mala sibi, nondum senio confectus, intulit.

Interdum tubercula palpebrarum faciei interiori infixa tam gravi incitamento fiunt, ut oculus inde inflammetur ; neque ulla remedia prius opem pollicentur aut praebent, quam ars medica ea sustulerit.

Quod attinet ad causas non oculo ipsi allatas, nosse juvat, quicquid capitis arterias praeter consuetudinem concitat, aut venas sanguinem reducturas praegravat, id oculum inflammare posse. Alvus igitur tarda, liquores meraci, irritamenta intestino haerentia, sudor derepente suppressus, corpus pruinis objectum, secernendum aliquod non secretum, excernendumve non excretum, inter causas habenda sunt. *Epistaxis*, *Haemoptysis*, *Haemorrhois*, *Gonorrhoea*, &c. subito repressa, pari ratione huc referenda sunt.

Neque silere oportet de summa cute ex improviso deflorescente : saepenumero *Rubeola*, *Variola*, et *Erysipelate* vexatis contingit *Ophthalmia ;* maximeque, si curatio mala facit ut rubor cutis subito evanescat. Quod ad *Rubeolam* attinet, in aprico patet hujusce rei ratio. Virus enim, quod membranam intimam narium, faucium, et animae canalium proprie inflammat, hujus morbi causa est excitans ; nec difficile est intellectu, cur inflammatio a naso ad oculum serpat : membrana scilicet illius ad lachrymarum fistulas producitur, exinde in *Adnatam* desitura. Ratione huic haud absimili *Variola* interdum oculum inflammat. *Syphilis* demum non omittenda ; quae, quoniam viro acerrimo serius ocyus humores omnes inquinaturo enascitur, non mirum videbitur eam interdum oculos inflammatione mala plectere : proprium enim est viri cujusvis pestilentis membranas *mucosas* praesertim adoriri ; quas inter membrana oculi *Adnata* jure recensetur. Exemplis

sint *Dysenteria*, *Catarrhus* contage ortus, *Hydrophobia*, *Syphilis*, *Variola*, *Scarlatina* et *Rubeola* : quae omnia mala istas in membranas praecipue incumbunt.

Multi multa de *Ophthalmia* pestilente disputarunt. Haud negandum est, dictu non raro perdifficile esse, morbi quidam contagio prognati sint, necne ; non solum enim ea natura subtilis aciem sensusque omnes humanos latet, sed aliae quoque noxae morborum genetrices non minus in obscuro positae sunt. Neque dubitari potest, quin medici interdum aliquos morbos falso pestilentes esse statuerint, ei documento soli confisi, quod simul complures iis aegrotarent : etiamsi coeli, victus aut cibi ratio omnium aegrotantium communis causa esset excitans. *Ophthalmia Aegyptiaca* contagio an aliunde nascitur, anceps haereo. Illud certe aliquid valere oportet ; quod medici percelebres hanc pestilentem habuerint.

DE PROGNOSI.

Quo de exitu hujus morbi futuro recte judicari possit, oportebit ut causam, quae intulerit, aetatem, corporis indolem, et signa, probe perspexerimus. Inquirendum porro, non solum notae lenes an graves torqueant, verum etiam, quamdiu hae jam permanserint; quae auxilia medicinae frustra sint obnixa, quaeve alia valetudinis adversae genera cum *Ophthalmia* socientur. Quibus non cognitis, medicus praesagire nequibit.

Si cui juveni et vegeto igitur impetus alienus oculum inflammaverit, remedia praesentia salutem cito reductura speramus.

Si autem, inflammationis signis exterioribus perexiguis, oculus vehementer dolet,

et lumen irritabilis aufugit; si febricula et delirium saeviunt, exitus infelix instat. Aut enim oculi fabrica corrupta, et humoribus opacis futuris, aut gutta serena superventura, delebitur videndi facultas.

Mala et exitiosa est oculi inflammatio, quae *Gonorrhoeae Virulentae*, aut *Syphilidi* accedit, nec fere sanari poterit, quae Struma imbuto accidit.

Denique, undecunque oculus inflammatur, si signa exardent, metus non deest. Aut enim nebulae, *albugo*, *leucoma* aut cataracta, aut amaurosis aegro instare solet.

DE MEDENDI RATIONE.

Etiamsi curatio hujus morbi praecepta perpetua non habeat, fere tamen consilia duo exequenda totam medendi rationem amplectuntur: haec vero sunt,

I. Noxas excitantes, si adhuc haereant, quam primum tollere.

II. Inflammationem debellare.

1. Perpauca huc referenda literis mandare licet. Quaedam e causis excitantibus obscurae sunt, vixque patescunt; aliae evidentes tolli nequeunt. Quoties irritamenta aliena hunc morbum intulerint, protinus summoveri ea oportet: si autem natura medicatrix cursu lachrymarum, quem ciet, non satis in hunc finem valeat, adjuvenda erit oculo aqua tepida et lacte aliquamdiu loto. Haec servare permagni interest; nihil enim antea prodesse incipiet, quam ea irritantia oculo exierint. Interdum penecillo mollissimo utendum, quo acria palpebris intus subjecta ejiciantur. Neque ferramentis aliquando non opus est, si res aliena *corneae* quasi fixa non facile cedit; acies nempe ferrea subtilissima admoveri debebit, quae eam extrahat.

Si cui morbus venere oriundus *Ophthalmiam* induxerit, haec radicitus subduci non poterit, dum praeparata ex argento vivo prius virus *Syphilidis* pestilens fugaverint.

II. Proximum est, ut inquiratur, quibus remediis inflammatio ipsa debelletur.

Summi refert ut lux, aestus, fragor, et quicquid sensus irritet, excludantur et evitentur. Quem in finem juvabit, ut aeger in conclavi spatioso, perobscuro, fenestris patentibus ad perflatum inferendum, habitet. Oculi veste levi, serica et viridis coloris, umbrandi sunt: cavendum vero a vestitu multiplici, quo nonnulli tempora et frontem velare consuerunt; quippe qui magnopere calefacit et irritat; ideoque inflammationem non exasperare non poterit. Studia nocturna literarum, clara lectio, et alia ejusmodi fugienda. Potus meraci oberunt; nec minus perniciosa futura sunt condita omnia vorata, salsamenta, carnesque assae vel eli-

xae. Cibus optimus et convenientissimus esse solet, e tenui materia confectus; nimirum, e pane, farre, oryza, lacte; idemque parcior. Potui aptissimus est aut fons sincerus et egelidus, aut succi fructuum aciduli. Quinetiam, oportet, aeger nec expedito pede ambulet, nec equitet; nec aliquid cordi arteriisque ciendis accommodatum moliatur, quantum fieri possit.

Si menstrua, *haemorrhois*, cursusve sanguinis, aliusve humoris, derepente suppressa, oculum inflammaverint, revocato eo fluxu, quicunque sit, oculus salvus cito fieri solet.

Quoties signa hujus morbi leviora urgent, salus redit, si, praeter ea, quae supra proposui, alvus medicamento mitiori, uti *phosphate sodae*, aliove salium mediorum, probe solvatur; oculusque tepidis et emollientibus mulceatur.

Quod si, paucis diebus exactis, haec inflammatio *chronica* esse coeperit ; nempe si, dolore sedato, oculi tamen vasis resolutis rubent, emollientia mittere juvabit, et ea admovere, quae facultate refrigerandi et astringendi polleant. Hujusmodi sunt *acetis plumbi* aut *zinci, sulphas zinci ;* quae aqua liquata utenda sunt : hic liquor *camphora* haud male imbuitur.

Si oculus acerrime inflammatur, venas vacuefacere oportebit. Si aeger juventa et viribus floreat, id fieri debebit, vena brachii percussa. Satius est tamen vasa oculo proxima fere deplere, aut cucurbitulis cruentis, aut incisis vasis turgidis tunicae *adnatae*, aut hirudinibus impositis, aut denique secta arteria *temporali* ejusdem lateris. Eo plus opitulatur hoc genus auxilii, si venae subito exinaniuntur ; quem in finem, si hirudinibus utendum sit, decem imponendae, aut sex grandiores.

Dein alvum expurgare opus erit: sales medii optime conveniunt; quibus rite quoque accedunt *submurias hydrargyri* et radix *convolvuli jalapae*. Alvi purgatio, quaecunque pars capitis inflammatur, utilissima est; quippe quae humoribus deorsum impellendis vasa capitis quam plurimum exonerat.

Proderit simul tempora aut cutem pone aures emplastro *meloës vesicatorii* exulcerare; quod remedium haud parum ad vasa tumentia oculi deplenda operae confert.

Quinetiam, oculus *cataplasmate* emolliri debebit: hoc confici oportet e pane et lacte, aut e seminibus *lini usitatissimi*, aliisve istiusmodi.

His absolutis, ea ex *zinco* et *plumbo* praeparata, de quibus supra dixi, nunc adhibenda sunt. Guttae etiam paucae *tincturae opii* in oculum subinde instillandae sunt. Lux splendidior, quippe quae nocentissima

est, oculo panno serico viridique velato, fuganda.

Quod ad *Ophthalmiam Tarsi* pertinet, haec iniens et acuta iisdem remediis, de quibus jam disserui, devincenda. Quum vero eadem cum struma semper consociatur, pertinax fere inhaeret, et quanquam acuta esse desierit, vetusta inveterascit, aut integram vitam mansura, aut non nisi struma sublata tollenda. Signis igitur ejus acutae et exardentis jam finitis, ex palpebris exulceratis, fortioribus medicamentis utendum erit; qualia scilicet vasis oculi resolutis incitamento salutari essent: cujusmodi sunt *unguentum nitratis hydrargyri*, unguentum ex *oxydo hydrargyri rubro* et adipe confectum, *alkohol* dilutum; et quae sunt his similia.

Quo minus palpebrae noctu inter dormiendum cohaereant, ob humorem glutinosum excretum, adipe, oleo, aut *unguento*

simplici, aut *unguento oxydi zinci impuri*, vesperi illinendae sunt, penicillo mollissimo in eam finem adhibito. Oculus persaepe fonte sincero egelido lavandus.

Quidam nos jubent ulcus alicubi arte excitare, quoties inflammatio et exulceratio *tarsi* et palpebrae aegre sanescunt, homoque struma inquinatur: nimirum, ad cervices posticas. Nec ullus dubito, quin id auxilii genus interdum adjuverit.

Aliquando ictus *electricos* ab oculo elicere, ut eundem vi *galvanica* incitare, profuit.

Denique, struma erit debellanda, medicamentis roborantibus concessis, praesertim cortice *cinchonae* officinalis et e ferro praeparatis; frigidario, vestitu laneo, idonea coeli ratione, cibo satis alituro et concoctu facili; omnibus denique evitatis, quae vires labefactare posse videantur.

FINIS.